



PHILIPPVS MELANTHON.

Non ferri casu pulcherrima corpora mundi,
Verum mente regi consilioq; DEI:
Testatur Phæbus, qui certis legibus annum
Conficit, & notis itq; reditq; vijs.
Et gratis vicibus lucem noctemq; reducit:
Et tempestiuè nata calore fonet.
Temperat & radios, quos excipit humida luna,
Distinguens annum mensibus ipsa suis,
Deniq; cuncta suis labuntur sidera metis,
Naturam proprijs officijsq; iuuant:
Hæc cum suspiciens oculis & mente notabis,
Autorem agnoscas & venerere DEV M.
Hic nobis haustam proprio de pectore mentem
Inseruit, iusti noticiamq; dedit.
Ergo etiam scelerum pœnas hic exigit vltor,
Virtutumq; dabit præmia grata pijs.

